

**2004-05-25 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Memorabilem Quidem’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

***PISTOLA DATA  
GEORGIO ARTURO S.R.E.  
CARDINALI MEDINA ESTÉVEZ,  
PRAEFECTO EMERITO  
CONGREGATIONIS DE CULTO DIVINO ET  
DISCIPLINA SACRAMENTORUM***

*Venerabili Fratri Nostro  
GEORGIO ARTURO S.R.E.  
Cardinali MEDINA ESTÉVEZ  
Praefecto emerito  
Congregationis de Cultu Divino  
et Disciplina Sacramentorum*

Memorabilem quidem diem illum hodie etiam, Venerabilis Frater Noster, meminimus quo viginti ferme quinque abhinc annos te hic prope in Basilica Petriana Episcopum creavimus eo tempore Auxiliarem Rancaguensem, unde etiam curriculum tuum observavimus episcopaloris operis eandem apud dioecesim deindeque in Sede Vallis Paradisi, donec munera maxima te suscipere voluimus hic in Urbe Vaticana apud Congregationem videlicet de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum.

Hoc autem tempore diligentius respicimus ac studiosius quodammodo extollimus totum sacerdotium tuum cuius proximo XII die mensis Iunii felicissime celebrabitur aureum iubilaeum. In illius enim presbyteralis operis perfunctione passim scimus te complura cumulavisse merita. Vix namque recenseri possunt loca ubi tua in patria sacerdotem te probatum exhibuisti: apud Pontificiam Catholicam Studiorum Universitatem Chilensem, in Tribunali archidioecesis Sancti Iacobi in Chile, et ubi in Concilio Vaticano II in Codicis Iuris Canonici renovatione in ipsis Catechismi Ecclesiae Catholicae conscriptione omne tuum apostolicum ingenium in totius iam Ecclesiae communitatem maximum impendisti.

De hoc igitur presbyteratu tuo, adeo multiplici ac fructuoso, vehementer gratulamur tibi optatissima hac Nobis data opportunitate. Cum omnibus igitur recentioribus operum tuorum Apostolicam apud Sedem laudibus libentissimi quidem coniungimus longissimi ministerii sacerdotalis tui aestimationem atque Ipsi sponte consociamus omnibus cum familiaribus tuis et christifidelibus Chilensis qui faustissimis his diebus te circumsistent suisque affident plausibus.

Exoptato igitur mensis Iunii duodecimo die tibi veluti praesentes aderimus tuos inter populares exordia sacerdotii tui commemoranti; eorum nempe laetitiae participes pariter precabimur ut haec sacerdotii tui anniversaria memoria totum recret, consoletur, tuam inter Ecclesiae pastores augeat dignitatem, apud Divinum Magistrum congrua tibi conciliet sacerdotalis industriae praemia, quorum auspex et pignus tibi erit Apostolica Benedictio, sicut plurimorum aliorum caelestium munerum conciliatrix, quam peramanter tibi, Venerabilis Frater Noster, tamquam in conspectu impertimus.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Maii, anno MMIV, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**